



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli**

**Viegas, Brás**

**Parisiis, 1615**

Argumentvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39261**

## ARGVMENTVM.

Persequitur Ioannes narrationem secundæ visionis ceptam superiori capite, atque vidisse se in dextera sedentis in throno, id est Dei, ut supra explicauimus, librum scriptum intus & foris, septem sigillis signatum, tunc vero Angelum quendam fortem voce magna clamasse, Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius? Neminem autem siue in terra, siue in celo inuentum, qui intueri in librum posset, nedum eum aperire: quam ob causam cum Ioannes vbertim fletet, apparuisse in medio throni quatuor animalium, & viginti quatuor seniorum, Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem & oculos septem, qui acceptum de dextera sedentis in throno librum aperuit: cumque eum aperuisset, quatuor animalia, & vigintiquatuor seniores habentes singulos citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, cecidisse coram Agno, & in eius laudem canticum nouum decantasse, quod idem prestiterunt multa Angelorum millia, quæ omnia singulatim sunt a nobis enucleanda.

## CAPVT QVINTVM.

**T** vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem, & prædicantem voce magna, Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius? Et nemo poterat, neque in celo, neque in terra, neque subtus terrâ aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum. Et vnus de senioribus dixit mihi: Ne fleueris, ecce vicir leo de tribu Iuda, radix Dauid aperite librum, & soluere septem signacula eius. Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem, tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum. Et eum aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum: & cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & senio-